

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024
À traiter en 4h le jeudi 9 novembre (et à déposer dans mon casier au DSA)

Version latine n°5 (sur table) : le divin Titus

In [...] desideriiis hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret ; quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quam praestare posset, non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere ; atque etiam recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam uocem edidit : « Amici, diem perdidit. » Populum in primis uniuersum tanta per omnis occasiones comitate tractauit, ut proposito gladiatorio munere, non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit ; et plane ita fecit. Nam neque negauit quicumque petentibus et ut quae uellent peterent ultro adhortatus est. [...]

Quaedam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesuuii montis in Campania, et incendium Romae per triduum totidemque noctes, item pestilentia quanta non temere alias. In iis tot aduersis ac talibus non modo principis sollicitudinem sed et parentis affectum unicum praestitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendae Campaniae e consularium numero sorte duxit ; bona oppressorum in Vesuuio, quorum heredes non extabant, restitutioni afflictarum ciuitatum attribuit. Urbis incendio nihil publice perisse testatus, cuncta praetorium suorum ornamenta operibus ac templis destinauit praeposuitque compluris ex equestri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. Medendae ualitudini leniendisque morbis nullam diuinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere.

Suétone